

COMITES GALLERI.

Stirps Gallerorum Comitum in antiquiorum Styriæ Prosa-
piarum censum venit. Ex ea Bernhardus Galler Anno
1140. primum Seccoviensi conventui Præpositum dedit. (a)
Dietmarus Gallerus Caspari Saueri cognatus dictus, & Fratres ejus
Otto, Ottocarus, Conradus & Ortelinus Anno 1313. vixerunt,
Ottocarus autem in vetustioribus documentis de Anno 1304.
jam celebratur. (b) Horum posteros Bucelinus *Part. III. Germ.
Stemmatogr. pag. 49.* satis accuratè descripsit. Cæterum in Ar-
chivo Statuum Austriæ Johannis Galleri mentio occurrit, qui
Anno 1457. septuaginta libras denariorum Sigismundo Stock-
harner mutuas dedit. (c) Idem Johannes præterea ab Alberto
Eberstorffio prædium in Rechendorff feudali lege accepit Anno
1466. (d) & à Vito ab Eberstorff de villa in Reinerstorff, inter-
cedente Wolffgango Kirchenknopff Anno 1469. investituram
consecutus est. (e)

(a) *MSC. Baron. de Kainach.* (b) *Ibi.* (c) *Archiv. Stat. Austr. num.
2860.* (d) *Ibi num. 2993.* (e) *Ibi num. 3043.*

CAPUT LXI.

COMITES DE KHÜENBURG.

Ilustris Khüenburgiorum gentis origo in Carinthia quæren-
da est. Ex ea Michael Anno 1514. die Veneris ante S. Dyo-
nisiij Festum natus, Canonicus primum Passaviensis, deinde Sa-
lisburgenfis, tandem die 21. Julij Anno 1554. Archi-Episcopa-
lem Infulam consecutus est, huicque dignitati ad Annum usque
1560. præfuit. (a) Georgius de Khüenburg Præpositus Salis-
burgenfis & Oettingensis, An: 1580. die 20. Junij Jacobo Archi-
Episcopo ibidem Coadjutor cum Spe successionis datus, deniq; An:
1586. Archi-Episcopus renunciatus est, Anno sequenti autem
supremum diem obiit. (b) Tertius qui ex Khüenburgiorum Stirpe,
ad Archi-Episcopale fastigium apud Ecclesiam Salisburgensem
ascendit, Maximilianus Gandolphus postea S. R. Ecclesiæ Cardi-
nalis creatus, fuit. Hic Guidobaldo Comiti de Thun Anno
1668. mortuo successit, & Anno 1687. fatorum legem implevit.
Præter hæc decora Khüenburgiorum gens satis etiam antiqua
est. Adolphus enim Khüenburgius in literis vetustis de Anno
1170. testis adducitur. (c) Conradus & Rudolphus de Khüen-
burg Anno 1189. celebres fuerunt. (d) Bero de Khüenburg in

Pp

literis